

1573

ASCETICI.

1574

U. 617

**DCLXX.** Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 103. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis distinctus est, ut e calce praeoccupo, *Rethorica Diuina de oratione domini Gwilhelmi Parisien. Aruerus* is est, Scriptor Sec. XIII. et Episcopus *Parif.* de quo et hoc illius Opere jam memini inter *Codices Patristicos.* Incipit illud etiam hic: *In sacris et sacrificatiuis exercitationibus que et quanta sit dignitas &c. et finit: sed etiam impetratur ab ipso gratia. Quam nobis concedat Deus trinus et vnus &c.* Annus scriptionis subjicitur 1421. Codex utrinque vestitus est laciniis Tractatus cujusdam *rabbini* caractere rotundato paene ad modum hodiernae currentis *Judaeorum* scripturae exarati.

**DCLXXI.**

R. 3021

Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 301. f. per duas columnas commode perscriptus et minio distinctus hanc in anteriori Theca Notam praefert: *Hunc et alios plures libros et circa LX. Libras denar. dedit dominus Nicolaus Wibel olim plebanus in maurbach fratribus carthusiensibus ibidem. Qui obiit anno 1455. Alia autem bona testatus est ad ecclesiam suam parochialem in monte, pro quibus est empti vinea pro LX. Libr. denar. et pratum pro plebano pro LX. Libr. denar. O-*

*retur Deus pro eo, prout bene meruit, quia vir bonus et fidelis nobis fuit.* Volumen porro a bono hoc Viro propria manu exaratum continet, quae sequuntur: I. *Thomae Cantimpratani O. P. Librum de Apibus, seu Bonum Uniuersale* a me utroque *Vol.* ut Indices docent, non semel indicatum, cum clausula: *Explicit liber de uniuersali bono de moralitate Apum Per manus N. Wybel Nwemburgens. dyocifs. finitus Anno domini 1439. Dioecesi* intellige Districtum aut Decanatum *Neoburgens.*

II. fol. 44. *Psalterium Davidis* una columna, et altera illius Versio germanica. Ad calcem: *Explicit psalterium de latino in volgare translatum per egregium doctorem Magistrum henricum de bassia. Sed ubi vel ponitur, Nicolaus Wybl scriptor huius opusculi applicuit, finitque Anno domini Millesimo Quadrigentesimo Quadragesimo primo in die octaua Beate Marie natiuitatis ipsius virginis.* Cum ignaris ignoravi hactenus, Virum de *Austria* optime meritum etiam in vertendo *Psalterio* elaborasse. Itaque non pigebit speciminis ergo *Psalium* I. exscribere: *Es ist ein selig man, der nicht gegangen ist nach vnrecht leut rat, noch ist gestanden in der sunder weg, vnd auf dem stul dez todes vel sterbens nicht ist gesessen. Sunder nach gotes gepot stet sein wyllen, vnd in seim gepot gedenkt er tag vnd nacht. Vnd er wirt seyn ein bolcz, das gepblantz*

Ff 3

ist